

torum, in nodulo appensus circa scorbiculum cordis, certò impedit & curat hunc affectum, id quod monet per experientiam edoctus HEER in *obs.* & idem etiam experti sunt nuperimè ANGLI : In cura *cancris exulcerati* multum faciunt bufones, sive solus, bufo calcinatus in olla, sive exsiccatu adspargatur cancro exulcerato, sive permisceatur prius pulvis exsiccati bufonis cum auripigmento & cum fuligine simul, & cum petra, saliva madida applicetur cancro exulcerato. Dixi quod ossiculum brachii bufonis curet odontalgiam, neque id mirum, nam *catholicum anodynum* latet in bufone : Descriptionem olei bufonum ad *scrophulas* ejusque usum vid. in BORELL. *Cent.* 4. *obs.* 38. p. m. 305. Sic quidam præparare volunt oleum anodynum catholicum ex infusione bufonum in ol. communi. Alii elegantius parant oleum tale catholicum anodynum : Si scilicet bufones vivi extinguantur in  $\nabla$ , in qua  $\ominus$  commune est dissolutum, colantur, postmodum instituunt coagulationem, ut hunc liquorem inspissent, & bufones calcinant cum  $\ominus$ e, & fundunt cum calce, post fusionem solvenda est calx in aqua, ut abeant faeces, & hinc denud cum oleo amygdalarum dulcium miscenda est ; quod oleum inunctum tumoribus & doloribus quibuscunque eosdem mirabiliter lenit. *Fundamentum* hujus virtutis omnis bufonum subministrat HELMONT, dum deducit ex Idea pavoris & terroris, quam acquirit dum moritur, quæ Idea contraria est Ideæ archæi humani, qui fusius hæc cupit explicata, videre potest HELMONT, & ZVVOELFERVM. LAPIS bufonum an revera sit ex bufone, res nondum est certa, ut ut sint, qui dicunt ori illum ex bufonum capitibus. Quicquid sit in peste insignis efficaciam illum esse dicit AUCTOR : ad *renum dolores* mitigandos & tollendos, ad *calculi generationem* prohibendam similiter celebratur hic *bufonites*, qui ipse etiam specificus dicitur ad *hydropem*, de quo videri potest in HILDANI *supra cit. loc.* Commendatur itidem ad motus *externè ad tumores & inflationes* venenatas ab animalium puncturis vel morficationibus illatas, quas crebro contactu discutere dicitur. STARICIVS quoque in *Hellden Schatze* pag. 29. dicit, quod lapis bufonum, ubi adsunt venena, tam intra quam extra hominem, lachrymans quasi guttas sudoris emittat, & mutet colorem.

## CANIS.

DE quo dicit AUCTOR, quod *virus impostum* abdomini in dolore colico illum mitiget : quod verum esse non tantum confirmat RONSAEVS in  *suis Epistolis*, sed etiam in specie idem confirmatum videtur in BARTHOL. *Cent. historica*, ubi quædam de *transplantatione* morborum in bestias, & dicit, quod non tantum colica tormina, sed etiam *podagra* in canem transplantetur, si sc. lambat locum affectum : item *odontalgia* in Catellum, si applicetur denti dolenti, vid. BARTHOL. *Cent.* 3. *obs.* 66. & *Cent.* 6. *obs.* 53. In *phthisi* AXUNGIA canis omnibus aliis præfertur, illita pani, vel etiam si permisceatur alimentis axungia canis, Alii assant ca-

nem, & pinguedinem destillatam in phthisi propinant cum egregio successu. Pulvis ossis canis mistus cum pulvere pyrio in ejus præparatione, impedit quo minus audiatur sonitus. Vid. STARICIVS in *Hellden Schatze* p. 160. Stercus est ista pars, quæ imprimis usurpatur ex cane, dicitur in officinis semper ALBUM GRÆCUM, nunquam stercus. Hoc ut eo melius acquirat virtutes medicas, observetur, ut debite nutriatur cum ossibus solis, cum nullo vel paucoporu : Sic enim sit, ut  $\ominus$ . vol. ossium eò majorem acquirat virtutem in medicina. Hoc stercus *internè* multi est usus in *Dysenteria & Colica*, in quibus propinatum convenit : sicuti etiam ante dictum de asino, quod sit appropriatum ad compescendam hæmorrhagiam uteri. *Internè* in *Angina* propinatus pulvis sicuti etiam in aliis *faucium & partium internarum inflammationibus*, uti reliqua stercora eas per sudorem curat. *Illitus* cum melle in *angina abscessum* rumpit, & parat viam ad puris excretionem : *Decoctum carminativum* egregium ex albo græco cum hordeo & vino Malvatico FIENI vid. in HOEFERI *Hercule M. p.* 13. & 14. *Ingreditur* *internè* non ineleganter *positiones vulnerarias*, qualis potio sit, si *Herba veronica, pyrola, sanicula, Consolida Saracemica, Nicotiana* &c. m. viij. *Albi Græci* *ibid.* & misceantur pro decocto, quod non tantum *internè* potum prodest in vulneribus ceu potio vulneraria, sed etiam *externè instar levamenti* sive lotionis applicatur vulneribus, & illa citò tutò & jucundè sanat. Pro his facultatibus exaltandis præprimis *colligendum est* stercus canis mense *Julio*, quando canicula scil. sidus ascendit. MTNSICHT. habet etiam, quomodo sit colligendum pro cura anginæ in *armamentario Chymico* pag. 824. Plura qui cupit de miris stercoris Canini facultatibus ad curationem anginæ, dysentericæ ac vulnerum vid. ZACVIUM LVSIT. *Medic. Princip. Cent.* 1. *cur.* 86. cum non tantum *internè* curat anginam, sed etiam *externè* in cataplasmatibus & unguentis tam ad discussionem quam maturationem abscessuum in angina destinatis : & nullum est cataplasma aut unguentum in angina, quod non ingrediatur nidus hirundinis cum stercore canino. *Fundamentum* curæ consistit in hoc, quod imprægnatum est  $\ominus$ e  $\Phi$ so, quod est quasi de natura  $\ominus$ is \*calis. Hoc ipsum virtute incisiva & penetrativa *dissolvit tumorem*, acidum coagulans & inflammationes causans temperat & corrigit, & sic *inflammationi medetur*, abscessumque discutendo præcavet. CEREBRUM canis commendatur ad *maniam*, dum quidam maniacus curatus dicitur usurpato in victu cerebro canis assato vel cocto : alii commendant cerebrum catulorum destillatum cū spiritu vitrioli in cura maniacæ. Item  $\nabla$  destillata fellis ex catulo canis in spiritu liliorum convallium  $\mathbb{D}$  decrescentè propinata specificum dicitur in *Epilepsia*.

## CAPER &amp; CAPRA.

ANIMALIA fatis cognita, & quidem 1. quod attinet CORNUA capri, usitatè illa adhibentur

\* X 3

bentur